

cetera, quinque grossos latos sitos in vico dicto Kirnicz^a) in duobus hortis sitis ante Mysnam sub monte Judaeorum annui et perpetui census, in quibus hortis pro tunc Henczelinus dictus Zeunczil braxator et Bartholomeus linifex residebant, nobis et ecclesiae nostrae contra discretum virum Petrum dictum Prauciez morantem in Mysna pro una sexagena latorum grossorum emit comparavit et assignavit, tali tamen conditione adiecta, quod singulis annis Katherinae famulae suae piae memoriae in vigiliis ac missis anniversarium more solito peragere debeamus, quos quidem grossos magister infirmariae in die anniversarii dominis distribuere singulis debet annis. In cuius rei testimonium sigilla nostra praepositi et conventus duximus apponenda. Testes autem huius sunt dominus Thiczko Pechsteyn de Pirna, Johannes de Reynsberg residens in Wakenicz, nec non Johannes Dypolswalde [de] Dresden rector scolarium scholae sanctae Affrae. Datum Mysnae anno domini M^o.CCC^o.LXI^o. in die beati Francisci.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Die an Pergamentstreifen befestigt gewesenen Siegel sind abhanden gekommen.

No. 216. 1362. 12. Jan.

Albert Probst zu Budissin erklärt, dass die durch ihn vom Afrastifte erkauften Geldzinsen nach seinem Tode an dasselbe zurückfallen sollen ohne jeglichen Anspruch seiner Erben.

Ego Albertus praepositus ecclesiae Budissinensis et canonicus Misnensis notum facio universis et singulis, quibus nosse fuerit oportuum, quod tres sexagenas latorum grossorum annuorum reddituum comparavi pro viginti quatuor sexagenis praedictorum grossorum in villa Moldewicz apud honorabiles viros dominos Theod. praepositum, Conr. priorem totumque conventum canonicorum regularium monasterii sanctae Affrae in Misna, prout in litteris eorum mihi ab ipsis desuper datis plenius continetur, et quando de hac vita decedam et moriar, tunc praedictus census annuus cum omnibus obventionibus et iuribus ad praedictos dominos et eorum monasterium libere revertetur, et debent esse quiti et soluti a meis heredibus et successoribus a datione petitione vel receptione census, obventionum et iurium praedictorum. In quorum omnium testimonium praesentem literam sigillo meo sigillavi, quae est data Mißnae anno domini MCCC^o LXII^o feria quarta infra octavas epiphaniae, praesentibus discretis viris domino Conr. Knuyt, perpetuo ecclesiae Mißnensis vicario, Alberto Knuyt eius fratre, Johanne de Zcerin, plebano in Friderichsdorff, Johanne Ysenhuyt, Johanne Dipolßwalde rectore scholae eiusdem monasterii et Andrea Fabri de Mißna scolare et quam pluribus aliis fide dignis.

Nach dem Chartularium monast. s. Affrae I. fol. 8. II. fol. 36.
Ursinus Gesch. d. Domk. S. 245.